



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Præfatio Ad Sacerdotes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

P R Æ F A T I O
Ad Sacerdotes.

Quod olim per Moysen Sacerdotibus
Legis antiquæ mandavit Dominus:
Loquere ad Sacerdotes, & dices ad
eos: Sancti erunt Deo suo. Levit. c. 21. Id-
ipsum potiori jure à Sacerdotibus legis no-
væ postulat: tantum enim Sacerdotium
vetus à novo, quantum umbra à corpore,
nox à die, figura à veritate dissidet. Sa-
cerdotes illi thymiama & panes proposi-
tionis offerebant, taurorum, vitulorum,
agnorum, & hircorum carnes & sangui-
nem cruentè immolabant: vos verò O
Christi, seu Uncti Domini, non panes pro-
positionis sed panem Angelorum, non car-
nes animalium sed Sacratissimam carnem
& Sanguinem Jesu Christi Filii Dei, quasi
Agni immaculati, Deo Omnipotenti in-
cruentè sacrificatis. Ideoque meritò ex-
igitur, Sancti erunt Deo suo. Erant illi
Patriarchæ, Propheta, Populi Duces, ac
Judices: Vos, omnes illos officii dignitate
& potestate superatis, Christi ipsius perso-
nam sustinentes. Vos more Patriarcha-
rum,

rum, in populo Dei, Patres Patrum estis, Filiosque spirituales in Christo Jesu per Evangelium gignitis. Vos Prophetarum instar, jam cum Vate Regio canente, Deum in psalterio laudatis; jam cum Jona praedicante populi excidium prophetatis; jam cum Elia sacrificante, Ignem Divinum è caelis in terras, verbo consecrationis, evocatis. Vos tanquam populi Duces, verbo & exemplo eundem per seculi huius tempestates in terram promissionis, & in portum salutis deducitis. Vos mortalium Judices à Christo constituti, damnationis aeternae reos caelo asseritis; vinculisque peccatorum, etiam innumeris, gravissimisque constrictos, verbo absolutionis, aut solvitis, aut vinclos detinetis; & quidquid solvitis aut ligatis, id ligatum aut solutum censetur & acceptatur in caelis. An non igitur verè de vobis cecinit Propheta Regius: Ego dixi Dii estis, & Filii excelsi omnes? Psalm. 81. Et an non Supremum Numen tantà vos excellentià & potestate condecorans aequissimo jure exigit: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum? At in quo sanctitatem hanc à vobis requisitam, collocatam esse

arbitramini? An in scientiis & linguis?
 An in raptibus & ecstasibus? An verò in
 prodigiis & signis? Minimè gentium: ista
 enim à vobis Deus non exigit. Quid ergo?
 Non aliud sanè, nisi opera sacerdotalia quo-
 tidiana exactè, perfectè & sanctè pera-
 genda: hæc si prestiteritis sanctitate deside-
 rata fulgebitis. Ex fructibus eorum cogno-
 cetis eos, ait Salvator in Evangelio: quem-
 admodum arbor ex fructibus, ita homo ex
 operibus cognoscitur: fructus vestri sacer-
 dotalia vestra exercitia sunt: hæc si perfecta,
 si sancta fuerint, sancti eritis; implebitisque
 voluntatem Domini Dei vestri precipien-
 tis: Sancti erunt Deo suo: id est, sancti in
 cogitationibus sancti in sermonibus sancti
 in affectibus, conversationibus, precibus, sa-
 crificiis, horis canonicis, refectioe cor-
 poris: verbo sancti in omnibus totius diei
 actionibus consuetis. Quod ut obtineatur
 efficacius, ordine diei stabili, & piis actio-
 num industriis opus est. Quas si desider-
 tis, si alia meliores non suppetant, offero de-
 missè eas, quas tum è sacris voluminibus,
 & SS. Patrum monumentis, tum etiam
 ex Ascetarum illustrium commentariis
 præ-

præsertim, R. R. P. P. Ludovici de Ponte,
 Lessii, Lancicii, Caraffe, aliorumq; in usum
 meum concinnarum; cum verò alii quoque
 Sacerdotes tam Ecclesiastici, quàm Religiosi
 in diversis locis eas expeterent; atque is
 etiam me excitaret, qui poterat mihi im-
 perare, prælo subjeci ut pluribus servirem,
 & non tantùm vivus, verùm etiam in pul-
 verem jam reversus, adhuc loquerer ad Sa-
 cerdotes, ut Sancti sint Deo suo. Verborum
 phaleras & ornamenta prudentiores non
 requirent: nam pietas, devotio, sanctitas
 gaudet simplicibus: sed quotquot legere hæc
 dignabuntur, rem ipsam expendent, non
 verba; fructum legent non folia, flores car-
 pent, non pappos volaticos desiderabunt: &
 si quid gratum repererint, id Deo omnium
 bonorum fonti, ac post Deum aliis, si quid
 verò minùs ad gustum & inconcinnum in-
 venerint id mihi, velim, attribuunt Faxit
 Divina Bonitas, ut & ego & alii complures horo-
 logii huius sonum, cum fructu audiamus, indicem
 sequamur, omnia nostra opera in pondere, numero
 & mensura perficiamus; atq; ita scopum huius li-
 belli, id est perfectionem & sanctitatem sacerdo-
 talem in omnibus & singulis actionibus quotidianis
 elucetere, attingamus: ne in illo die à supremo Iu-
 dice appensi in statera minus habentes inveniamur.

HORO